



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

§. III. Urbis Hierosolymitanæ expugnatio per Christianos Principes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

cum militibus fidelibus, Turcis expul-
sis, totam Terram Sanctam, in pri-
stinam libertatem restitutam, Regi
Regum Christo, ut Sanguine suo ac-
quisitam hæreditatem, consecrarunt.

§. III.

*Urbis Hierosolymitana expugnatio per
Christianos Principes.*

Gloriosissima victoria Cruce si-
gnatorum, & quasi tot pericu-
lorum, & præliorum Princi-
pum Christianorum, fructus, corona
ac præmium, fuit expugnatio Civita-
tis Sanctæ, Regiæ Regis Regum
Christi J E S U. Urbem illam omnibus
necessariis ad diuturnam obsidionem
sustinendam abundantissimè instru-
ctam, tuebantur quadraginta millia
militum præfidiariorum, cum viginti
millibus civium bene armatorum: exer-
citus verò Christianorum ex trecentis
millibus Bellatorum, redactus erat ad
viginti millia peditum, mille & quin-
gentorum equitum. Nihilominus Deo
exercituum hujus Belli auctore, cum
suis militibus pugnante, decima quintâ
Julii die Veneris, eâdem præcisè horâ,

quâ Christus in Cruce pro salute
humani generis expiravit, vi capta
est Hierosolyma, Saracenis inter-
necione deletis: in quam Urbem
irruptione facta, primus stricto gla-
dio ingressus est Godefridus Bul-
lionius, Dux Lotharingæ; Prin-
ceps immortalis gloriâ cumulandus,
dilectus Deo & hominibus; ob exi-
mias animi dotes, & virtutes sum-
mo Imperatore, ac Rege Christiano
dignissimas. Siquidem in illo emine-
bant pietas, modestia, prudentia, be-
nignitas, clementia, justitia, fides Or-
thodoxa, liberalitas, scientia militaris,
magnanimitas, fortitudo; quas omnes
virtutes perpetuò comitabatur felici-
tas, & universalis omnium approbatio,
heroicis actionibus comparata: qua-
propter omnium suffragio, ac unanimi
consensu & gratulatione Rex Hieroso-
lymitanus renunciatus est, anno Domi-
ni millesimo nonagesimo nono: nullus
dignior extitit, Regis secundum cor Dei
solum obtinere. Tot victoriis gloriosus
Rex piissimus æquè ac invictissimus,
tribus actionibus immortalitate do-
nandis, regni sui initia stabilivit. Pri-
ma, fundando Collegium Templario-

rum, & aliud Canonorum Sancti Sepulchri, arque celebre Monasterium Religiosorum in valle Josaphat. Alterâ, occupando arcem Turris Davidis, quam sibi tradi voluit tanquam Urbis propugnaculum, frustra reluctante Comite Tolosano. Tertiâ fuit victoria, omnium memoriâ sæculorum prædicanda. Soldanus Ægypti properabat Jerosolymam, cum exercitu trecentorum peditum, & centum millium equitum. Vix viginti millibus constabat exercitus Christianorum, qui tamen Rege præeunte, & Deo pro suis præliante, tanto impetu in hostes irruerunt; ut Saracenorum exercitu profligato, omniq̃ue ex parte deleto ac contrito, vix cum paucis sese, turpi fugâ è victorum manibus eripuerit ferox Soldanus. Stabilitis, per tot illustria facinora, novi regni fundamentis: factâ solemnî gratiarum actione ante gloriosum Christi Sepulchrum, Regi sæculorum immortalî soli Deo, honorem & gloriam reddi voluit, cui etiam Regiam coronam obtulit, Rex ille piissimus & fortissimus.